



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

cautela inter viros & mulieres de quibus mentio est præmissa, ut utrorumque ad alteros accessus haberi nequeat illicitus vel suspectus. Illudque diligenter observa, quòd memorati viri dicuntur sub disciplina & visitatione catholicorum pauperum permanfuri, ut hujusmodi disciplina & visitatio sanæ doctrinæ conveniant & ecclesiasticæ honestati. Datum Laterani vii. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO, ET ABBATI sancti Victoris, & Cancellario Parisiensi.

Epist. 81. Scribitur pro Comite Nivernensi. Hist. lib. 14. cap. 12. 126. 127. 128. 129.

Cum nuper vobis contra insolentiam nobilis viri Comitis Nivernensis Virziliacense monasterium opprimentis sub certa forma direxerimus scripta nostra, dilectus filius magister I. Clericus, diligens & fidelis procurator ipsius, formam ipsam intelligens, gravi fuit dolore turbatus, humiliter nobis supplicans, cautionem quam poterat offerendo, ut quod mandabamus in illis de inquisitione consanguinitatis inter eundem Comitem & Comitissam auctoritate apostolica facienda, de litteris illis adimere dignaremur, promittens quòd idem Comes, voluntate nostra plenius intellecta, cessabit ab indebita molestatione monasterij memorati. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si nondum processistis ad inquisitionem hujusmodi faciendam, & ipse Comes satis fecerit competenter, sufficienter cavendo quòd à procuracionis immoderantia, quam ad justum reduci mandavimus moderamen, de cetero conquiescat, vos ad inquisitionem illam minimè procedatis. Alioquin mandatum apostolicum exequi procuretis prout videritis expedire. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcopo &c. Datum Laterani iiii. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO ARIMINENSI.

Epist. 84. Severa Orthodoxis decernuntur littera.

Cum ea omnia quæ Otho, non jam nominandus Imperator, sed impius persecutor, contra Clericos vel Ecclesias statuit aut statuerit, denuntiaverimus irrita & inania, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si quis concessione, sententia, privilegio, vel mandato ejusdem Othonis uti voluerit in præjudicium vel damnum Ecclesiæ Ravennatis, tu ipsum ab hujusmodi præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Laterani ix.

kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto,

E I D E M.

Venerabilis frater noster * Linienfis Episcopus nobis significare curavit quòd cum O. dictus Imperator propter latam in se à nobis excommunicationis sententiam quasdam terras & res alias Linienfis episcopatus Comitibus & communi de castro Cario Linienfis diocesis concessisset, & secundum hoc privilegium suum dedisset eidem, ipsi Comites & commune facientes Liniensem Ecclesiam super his per iudices suos sententialiter condemnari, res occuparunt easdem, & distribuerunt pro velle aliis possidendas in enorme sui & Linienfis Ecclesiæ detrimentum. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus quicquid occasione privilegiorum prædicti excommunicati noveris attentatum in præjudicium Ecclesiæ Linienfis, auctoritate apostolica sublato appellationis obstaculo non differas irritare, & ne dicti Comes & commune privilegium ipsis utantur, eis firmiter inhibere procure, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*Epist. 85. Eiusdem argumenti cum superiore. * Cod. Colbert. Lincen. scribitur Lucen.*

PRIORI ET CAPITULO Domini sepulchri Ierosolymitani.

Cum à nobis petitur &c. usque perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis precibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos ex una parte & venerabilem fratrem nostrum Theſſalonicensem Archiepiscopum ex altera super Ecclesia sancti Demetrii Theſſalonicensis amicabiliter initam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem cautelam, litterarum tenorem quas idem Archiepiscopus nobis transmisit de verbo ad verbum præsentis pagina duximus inserendum. **SANCTISSIMO** Patri & Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici G. ejusdem patientia & vestra Theſſalonicensis Ecclesiæ minister, licet indignus, se ipsum ad pedes cum obedientia filiali. Cum propter schismaticam inobedientiam summi Regis vindicta terram Græcorum correctionis funiculo flagellasset, & ipsam

Epist. 86. Confirmatur quedam compositio.